





6
19-b
63
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
17 D
65






Colleg. Rom. Soc. Jesu Catalog. Inscript. B. S.

POMPA REGIA LVDOVICI XIII FRANCIAE ET NAVARRAE REGIS CHRISTIANISSIMI.

A FIXENSIBVS MVSIS IN HENRICEO Societatis IESV Gymnasio


Vario Carmine consecrata.








FLEXIÆ,
Apud IACOBVM REZE', Typographum Regium.
M.DC. XIV.



LVDOVICO XIII
FRANCORVM
ET NAVARRORVM
REGI CHRISTIANISS.





VOD ſecundum incredibilem noſtram ex aduentu tuo lætitiam, maximaque Regias in Scholas pietatis tuæ ac bonitatis indicia, nullum ab his publicè gratulationis monumentum extiterit, tu ipſe (*Chriſtianiſſime Rex*) feciſti, qui eas cum Matre digrediens ſilere tandiu ac feriari iuſſeras. Quamobrem vbi primum reſtituta illis ſua vox eſt; & ſolito concurſu, ac frequentia celebrari cœperunt, nihil ei officio, ac publicæ ſignificationi anteuertendum putarunt. Tametſi & aliæ nimirum differendi cauſæ fuerunt: & hæc vna vel grauiſſima viſa eſt, quòd tum breui futura illa pompa



ſperabatur; qua virilis (vt ita dicam) Imperij prima Auſpicia conſecrares. Igitur commodius multo, ac *Maieſtati tuæ* iucundius fore duximus, ſi eadem opera ambo illa argumēta pertexeremus. Ne aut poſtremus hic triumphus prædicatione noſtra, ac præconio careret: aut (ſi quidem perſequi poſteà ſeparatim oporteret) interpellare te ſæpius, ac moleſti eſſe cogeremur. Præſertim cum tantum ſit occupationum tuarum recenti ex adminiſtratione pondus & grauitas, vt eas vel leuiter pulſare ſi non ingratum tibi, certè temerarium nobis atque inconſultum poſſit videri. Niſi quod proptereà condonanda tuis hæc audacia eſt, quòd in tam graui negotiorum concurſu, id ætatis atque vſus Principi aliqua ſit voluptatis intermiſſio comparanda. Dari autem vel ſuauior tibi, vel honeſtior nulla poteſt; quàm quę capitur ex earum rerum, quas hìc aut alibi ſuauiſſimas habueris, recordatione: Capitur ex celeberrimi illius triumphi publicique in te amoris repetita memoria: Capitur ex Muſarum ac Poëticæ artis illecebris. Cuius cùm præcipua ſemper fuerit apud Principes viros; apud te eo maior eſſe gratia atque auctoritas debet: quòd in eo ætatis flore ſis; ea ad om-

nem excellentiam indole; eo porrò aditu florentissimi Imperij vt neque animo, ac virtuti tuæ maximarum rerum occasio; neque maximis rebus gerendis animi vis ac magnitudo defutura videatur. Interim vero, dùm illa in te nobis argumenta paulatim informas; hoc est ad perfectissimi te Principis speciem vel proprijs stimulis, vel domesticis exemplis confirmas; in excursione illa tua, & publica hilaritate prædicanda vires nostras experiri decreuimus. Quo quidem in itinere ac processu cùm ceterarum virtutum haud obscura vestigia reliquisti; tum, quod ad institutum nostrum magnoperè pertinet, facilitatis ac clementię. Ea porrò non aliâs magis, quàm Regijs hisce in Scholis adeundis, lustrandis, celebrandis, atque omni humanitate complectendis enituit. Quæ res vna maximo nobis incitamento fuit, vt quibus possumus rebus gratiam aliqua ex parte referre studeremus. Neque enim profectò dubitandum est, quin ad quas Scholas adire spontè, ac tandiu versari sustinueris, easdem vicissim adeuntes benignè, atque amanter excipias. Mihi quidem, qui & alias *Maiestatis tuæ* periculum in re simili fecerim; & ad huius modò officij partem aliquam

fuerim adhibitus, de huius noſtri conſilij ſucceſſu propemodum conſtat. Nec vereor vt, qui à me aliena quædam, neque aliter quàm ex offerentis voto coniuncta cum tuis rebus non inuitus acceperis, nouum hoc tibi munus, quod *Maieſtatem tuam* propriè ſpectat, quodque vnius tui cauſſa elaboratum eſt, longè gratius atque acceptius ſit futurum. Deus te huic Imperio quam diutiſſimè ſaluum, atque incolumem conſeruet. Fixæ Andeg. Ex Magni Parentis tui Scholis. XVIII. Cal. Dec. CIƆCXIV.

M. T.

Deuotiſſimus DIONYSIVS PETAVIVS *è Societate* IESV.

AD EVNDEM
LVDOVICVM REGEM.

LÆta suum per me tibi cor, LODOICE, animumq;
Dat Schola Borbonij mitis alumna laris.
Ne paruu facias; hanc de tot sedibus vnam
Rex voluit CORDIS Maximus esse sui.
Cętera si certent, dono superabimus isto;
Cum tantum in nostro COR tibi corde damus.

AD EVNDEM
ODE NVNCVPATORIA.

PRima hęc ouantis pompa fauentibus
Deducta Musis, & placidus labor
Bis terque plaudentes subegit
Castalios iterare fontes.
Dum cędis expers, nec lacrymabilis
Vlli, per vrbes Francigenum exultis
Myrto coronatum triumphus
Pace tuos praeeunte gressus:
Maiora posthac pręmia fortior,
Æuique compos, nec leuiter tibi
Vel parta, vel feris cauenda

Adijcies, Lodoice, sæclis.
Seu regna sęuis acer ab hostibus
Tutanda sumes: seu libet exterum
Quacunque terrarum, marisue,
Non sine Dijs, agitare Martem.
Cum vela Francis classibus explicans
Bis fœta nostris arua cruoribus,
Nilique stagnantis reuises:
Et Tyrijs habitata Pœnis.
Queis non inultos litoribus diu
Errare Mauros, nec Proauum sines
Iactare captiuum, vel atra
Peste acies, vitioque cœli,
Non Marte victas. Hinc nitido Crucem
Signata tergo te Duce protinus
Recusa diffinget iuuentus
In Syrios, Arabasque tela.
Tunc & decorum puluere Barbaro
Et cæde corpus, non sine laurea,
Curru reportantem Camœnæ
Excipiens operosiores.
Proin tu fouendis, quarum opus exigas,
Assuesce Diuis. Ac Socium vice
Audi salutantes benigna
Fronte pius, patrióque vultu.

PARS



PARS PRIMA
PANEGYRICOS DVOS
CONTINENS, QVI AD REGIAM
EXTRA VRBEM POMPAM
PRÆCIPVE SPECTANT.

Authore P. DIONYSIO PETAVIO
Aurelianenſi è Societ. JESV.

PANEGYRICVS I.



YMPHA domus cuſtos patriæ, Magnique Parentis
Delitiæ quondam, tua te, Lodoice, viciſſim
Hoſpita, ſi vacuum eſt, ſi fas adiiſſe, ſalutat.
Lætior huic ſolito facies: qualiſque nec antè
Viſa tibi (quanquam meritò ſe læta ferebat)
Cum regni ſolenne decus, Prætoria tecum
Caſtra, Palatinaſque trahens ſub ſigna cohortes
Oppida luſtraſti, nec dedignatus eundo

Parua triumphales ad mœnia tendere gressus,
Officio & certare prior. Sed enim arduus illam
Maiestatis apex, tot circum horrentia pilis
Agmina, tot lituum strepitus, & discolor æris
Terruerat latè species: cum pectore Regem
Præcipiens, nec qualis eras, sed quantus adires
Obijciens animo, nondum explorata paueret
Colloquia, aspectu in primo. Quippe ætheris alti
Summa premens Titan, nullaque à nube refractas
Insuetos hebetat visus: sensimque receptis
Innocuus radijs trepidantia lumina mulcet.
Sic perculsa noua subeuntis imagine regni
Obstupuit primum, vixque eluctata resoluit
Ora, prior dum tu pompa referente triumphum
Ingrederis. Nunc illa suis successibus audax,
Præsentemque experta cupit: corámque videre
Ardet inexpletum, sed nec minus ipsa videri.
Quippe memor, qua tu facilis pietate, quibusue
Solicitam, & tanti trepidam formidine cœpti
Erigis alloquijs. Medio stat pectore fixus
Frontis honos, roseæque decor ceruicis, & ora,
Ora Dei specie, patrijsque micantia signis:
Eminùs & gemino radiantes sidere ocelli;
Verbaque, festiuæque lepos & gratia linguæ.
Quæque alia aut in te formam expressura Parentis

Congessit natura fauens, atque vbere largo
Indidit: aut vsu, studioque adscita superbos
Conciliant populos, & colla ferocia subdunt.
Publicus hinc flammatus amor: hinc certa perenni
Imperio sancita fides, adstrictaque regni
Vincula, Trinacrij nexu potiora Tyranni.
Nam neque opes Regum validæ, nec flaua metalli
Pondera cana situ multo, latebrisque reposta;
Non lateri affusus custos, non peruia nulli
Limina, non acies campo, non æquore classes
Dispositæ tanto sceptrum munimine firmant,
Quantum animis illapsa pij concordia sensus,
Nec pretio Rectoris amor, fictisue redemptus
Blanditijs, sed sponte Deo impellente paratus.
Certe aliàs Regum non vllus amantior olim,
Regibus inque vicem populus dilectior ibat
Francigenis: nulli melius per mutua norant
Obsequia hinc gnatos, atque hinc præbere parentes.
Prisca licet Macedûm iactentur regna: vel ortu
Solis Achæmenius, primoque afflatus Eoo:
Cui Superum haud dispar quondam, Regisque colendi
Relligio, amborumque sacris coniuncta potestas.
At non hic sese Francis æquauerit ardor.
Nec quotcunque vagis anfractibus vtraque gentes
Tethys Erythræis lustrans a Gadibus arcet,

Vlla suum nostro in Dominos contendat amorem.
Nec tamen hic idem in tete consuetus oberrat
Mentibus: at feruens, crebrisque accessibus auctus
Crescit in immensum, solitoque potentior ardet.
Nempe (fatebor enim) magni post condita Regni
Auspicia, & Francos peregrina in sede receptos:
Ex quo Teutonicus, perrupto limite, tandem
Crinitas acies Pharamondus, & agmina victor
Transtulit, ac Rheni præter vaga flumina traxit,
Tempus ad hoc nullus, tot Regum ex ordine, vixit
Charior, aut tanto populi dilectus amore.
Nec dubijs manifesta dedit suffragia signis.
Ecce moræ impatiens, laxique cupidine tactus
Ætheris, atque Vrbis paulum pertæsus, & Aulæ,
Heu nimium optatos! sacris penetralibus effers,
Sic regno poscente, gradus. Exinde potentis
Imperij opportuna legens, vt quæque trahebant
Aduentu recreanda tuo, cum Matre verenda
Ingrederis: pacemque viris & gaudia, belli
Discusso terrore, refers. Sic imbre madentes
Post Hyadas, densisque obductam nubibus æthram,
Emicat, & sudum retegit Sol igneus orbem.
Prò quam grata tuis placidæ spectacula pompæ!
Quam læti fluxere dies! Quo te obuia plausu
Nobilitas! ciuis quo circunfusus ouantem

Concursu fremituque capit! Quibus oppida passim
Ardebant studijs! cum te sublimis, & auro
Instratus, tantoque ferox vectore per vrbes
Bæticus inferret sonipes; curruue sedentem
Arrecta niuei traherent ceruice iugales!
Delecti proceres, Aulę pars maxima, circum
Frænatis tendunt in equis; Regnique Senatus
Sanctior, arcani quibus est commissa potestas.
Tum pilata cohors, pictis comitatus in armis
Bellicus anteuolat, florentesque ære manipli.
Ipse inter cunctos, medium cingente corona,
Arduus incedens, cunctis formosior ibas.
Qualiter, obscuræ sub prima crepuscula lucis,
Candidus exoritur cœlo, tenebrasque repellit
Lucifer, ante alios mundi spectabilis ignes.
Talis ab Aurora, domitoque Oriente regressus,
Pampineoque regens virgatas verbere Tigres
Mæonios Liber populos, atque arua pererrat
Lydia, maternoque insignes funere Thebas.
Illum tincta croco, & Melibœo murice cingit
Vestis, Hydaspeos auro intexente lapillos.
At quocunque leuem permiserit æquore currum,
Circum omnis lasciuit humus, & vitea spargit
Brachia: tum liquidi musto decurrere fontes.
Hinc atque hinc crines hedera pendente reuincta

Bassarides, Satyrique fremunt: pulsuque Cythæron
Eminus, aut celsi resonant deuexa Timoli.
Haud aliter se pompa Ducem comitata ferebat,
Finitimas acuens gratis rumores vrbes.
Exin turba frequens, nullo discrimine, raptim
Tendere in occursum, & viduatis mœnibus omnis
Vnà ætas ruere, ac totis efferuere portis.
Mista virum, matrumque manus, simul innuba proles
Defixis inhiant oculis, vt crine decorum
Assurgat caput; inque genas vt lacteus ostro
Lentescat fallente nitor: quàm blandus ocellos
Torqueat; vt celsi candentia terga fatigans
Cornipedis habiles pulcrè consurgat in artus
Mirantur, puerisque ostentant singula matres.
Nec vidisse sat est: iterumque iterumque propinquant
Visendi studio. Labor est inhibere ruentes,
Moliri que viam, & turba defendere Regem.
Hæc dum prospectant resides: dum vulgus inermum
Pascitur, atque oculis per cuncta vagantibus hæret,
Procedunt Iuuenes, It bellis vtilis ætas.
Pars eques ingreditur, seseque ostentat in auro;
Puniceà gaudens chlamyde, & radiantibus armis.
Auro strata rigent, fræna aurea, & aureus ensem
Balteus a tergo bulla gemmante coercet.
Pars pedes in galea, & fuluo thorace coruscans

Progreditur duplici versu: grauat area lauam
Fistula, quâ mollem capulus falcatur in arcum.
Hi teretes contos, & longa hastilia crispant;
Inclinantve humeris: cuncti sua signa sequentes
Agmine procedunt. Telorum ferrea latè
Horrescit seges; atque aduerso Sole renidens
Aeris inardescit, fluitatque per aëra fulgor.
Icta gemit tellus: tum denso puluere nubes
Atra, pedum pulsu, campoque volubilis errat.
Inde vbi iam visi propius succedere muris,
Martius extemplô canor insonat: vndique rauco
Aera fremunt strepitu, cœlique imitata fragores,
Horrificas tormenta vomunt per inania flammas.
Intrâ autem, quacunque gradus, & lumina flectit,
Lætior occurrit species. Hinc tecta, sacrasque
Fronde domos viridi, atque obtentu vestis inumbrant.
Hortorum hîc calcantur opes, sertoque recenti
Subter humus congesta, & odoris floribus halat.
Plurima perque vias, & sicubi laxior vrbis
Area, templorumque aditus, extructa sub auras
Pegmata consurgunt: arquatáque fornice picto
Materies longis operum contextibus ora
Detinet. Hîc acies descriptaque bella morantur
Borbonidum. Hîc magni effigies, aut facta Parentis,
Longa operum series: seu victa potentibus armis

Mœnia; seu campis hostem disiecit apertis.
Hic habitu referens Martem, toruusque videri
Hic placidus, vultuque suo. Iuxta aurea proles
Coniuge cum casta. Per tot monimenta fluentis
Lætitiæ, tot signa animi, tot publica amoris
Pignora deductam capiunt Pretoria pompam.
Hic vero hic maior populi concursus ad alta
Limina: perque fores, & longa per atria præceps
Nimbus agit sese. Nec iam cohibere satelles
Sufficit: infusam capiunt penetralia plebem.
Nec verò asperior miles; nec fuste ruentes
Summouet, aut ferrum intentans subeuntibus obstat.
Sed pius, & longo Domini mansuetus ab vsu
Et vinci se gaudet, & vltrò à limine cedit.
Ipse manu admissos Iuuenis, nutuque repelli
Haud sinit: ipse aditum propiùs cunctantibus offert.
Nec rudis interea vulgi importuna fatigat
Offensum pietas. Macti ô clarissima Regum
Nomina! Francigenæ Heroes, quos læta tulere
Sæcula! qui cultum hunc primi, moremque dedistis
Regibus, acceptum vestri coluere nepotes.
Sic regere imperio faciles, sic libera colla
Ciuili mulcere iugo, sic flectere mentes,
Inque animos dare iura licet, non corpora tantùm,
Ceu pecudum genus, aut pretio exercere redemptos.

His alios

His alios ritus; alienaque iura capessant
Barbarici Reges: aut Bistonis Aula Tyranni:
Aut Arabum, Arsacidumque Duces: aut accola Moschi
Sarmata: vel Scythici præter iuga sparsus Imaui
Tartarus: extremoque Sinæ procul orbe iacentes.
Aut Mogorum, Æthiopumue genus. Tum si quis ad
Guineo pretenta sinu tenet arua Beninus. (Austrum
Quem liquidi expertem potus, neque frugis egentem
Credula fert gentis pietas, & Numinis instar
Prosequitur votis, tecto interiore repostum.
Vsque adeo spectare nefas, aut prodere luci.
Ergo illi in tenebris vitam, solisque fatigent
Ædibus infossi. Non hos plebeia tueri
Lumina: vix ipsę possint spectare latentem
Excubiæ: nec cui metuat, seruetque satelles
Norit, cui vigiles soleat traducere noctes.
Hic velut in cauea clausus, pinguique polentà
Altilis, & dapibus gliscens genialibus anser.
Aut velut in stabulis satura ad præsepia grandis
Victima, non alios proni quàm ventris ad vsus
Pascitur infelix, & obeso corpore serpit,
Fœmineas inter doctus reptare cateruas,
Communemque odisse diem: nisi si qua videndi
Tempora, descriptæque vices, voluentibus annis,
Extulerint. Qualis rimosi parietis antro

Ocyus ad Solem tergo squallente lacertus
Emicuit, raptimque cauo caput abdidit arcto.
Ac velut obscura sub nocte volantia sulcos
Sidera, vel rari crinem traxere Cometæ,
Prodigiumq; ferunt. Sic non impune tueri,
Nec nullo terrore datum est, quos illa latendi
Degener ambitio tacitis penetralibus abdit.
At non ille Polum vitæque & luminis author
Rarus obit Titan: spatio sed lætus eodem
Voluitur axe super medio; quo limite currens
Omnia prospectat toto spectabilis orbe.
Hanc sese ad speciem Princeps, populique magister
Temperet, & posito vulgi consortia fastu
Quondam etiam admittat. Nec, si vulgata potestas
Se facilem mitemque dabit, decedere quidquam
Sentiet, imò amplum titulis accrescere nomen;
Et quocunque volet populos transire sequaces.
Sic magni creuere Duces, quos Roma triumphis
Inclyta, vel Danaum tellus, vel Barbara si quos
Extulit egregios meritis: quorum ipse per ora
Cernimus, & latè mundo increbrescere nomen.
Atque alius suos aciem dum vertit in hostes,
Primus inire viam; saltusque aperire bipenni:
Prætentare lacus dubios: transire natatu
Flumina: nunc saltu fossas: nunc ardua cursu

Exuperare prior: fallentes rumpere crustas:
Aut gressu signare niues: offerre pruinis
Intectum caput: armorum sub mole grauari.
Tela manu, vallumque pedes portare: manuque
Moliri clypeum: nec iniquo pondere fasces
Detrectare humeris: nec secius aggere iacto
Castra parare manu, atque altè demittere sulcos:
Castrensi gaudere cibo. Ciuilibus alter
Intentus studijs miseris dare iura: querelas
Excipere; ac turbæ sese miscere clientum.
Alter acerba pati facilis conuicia: nec se
Legibus vlcisci, aut comitum vibrare secures.
Quadriiugis hic vectus equis, cultuque superbus
Regifico agrestis non munera parua coloni,
Atque cauis haustam manibus de gurgite lympham
Abnuit. Haud tales gentis maiorque Tyrannus,
Et minor Ætnææ, qui vel diffidere proli,
Nec ferro tondere comas, villosaque menta;
Sed leuibus flammis, & cortice glandis obustæ
Stringere. Non alius; qui cum custode Molosso
Alta inter tabulata, ipsoque in culmine tecti
Pendentem nidum, & latebrosa cubilia fixit.
Quò sine nec scalis aditus, nec scandere quisquam
Roboris obtentu, & iunctæ trabis obiice posset.
Vel qui, dum gemini diuortia littoris audet

Iungere, Phryxæo pontem indignante profundo,
Tercentum secuit Neptunia terga flagellis
Demens: & pelagi Diuos in bella poposcit.
Ergo illi exortes vitæ, nec lucis eodem
Munere dignantur vesci, aut communibus auris.
Nec fauor hos turbæ tangit, populique minoris
Gratia, quem solo mos est censere tributo.
In foribus, primoque ingens in limine terror,
Pœnarumque minę, faciesque asperrima mortis,
Carceris in tetri speciem, aut squallentis Auerni.
Inde horrenda situ, lateque silentia circûm
Excipiunt spatia. Haud cuiquam penetrare facultas.
Vel si cunque datur; si fors patuere vocatis:
Hastati circunsistunt, trepidosque morantur,
Teláque vestigant. Manet ille, & inertia ducit
Otia secessu in vasto. Ceu belua multa
Cæde hominum, pecudumque nocens, terrore per orbem
Septa suo, procul aut immani procubat antro,
Aut desolatis iam sola in saltibus errat.
Diffugiunt, propiusque timent contingere gressu.
Tale sub ardenti Pastor Neptunius Ætna
Horrendæ penetrale domus, cæcosque tenebat
Deformi squallore lares; aut accola rupis
Cacus Auentinæ. Circum hos infráque supráq;
Fixa virum capita, & turpi manantia tabo.

Hîc tellus sanie concreta, atque imbre rubescit
Sanguineo: ast illic proiectis ossibus albet.
Desertæ haud aliter latebrę, ignotique recessus
Lucifugo Regi, similique horrore coluntur,
Vrbis inaccessi populo. Sic atria longè
Mœsta silent. At non hæc olim exempla secuti,
Queis genus, & stirpem egregiam, aut felicia debes
Sceptra. Sed ante alios, quorum tibi moribus illis
Fatale impositum est nomen. Cui maximus Heros
Cælicolum adscriptus numero, templisque sacratus?
Aut populi non dictus Amor, cui proxima retro
Nominis est à te series, decimusque mereris
Tertius ex illo Fastos augere priores?
Quem tuus ille latet genitor? Quo pectore Regum
Altius insedit pietas? Quis culmine ab alto
Cedere? Quis cultus melior descendere ad imos,
Et se velle parem cunctis? Quis suauior illo
Alternos miscere iocos? Quis mitior vnquam?
Charior aut patriæ Princeps? Hoc Magnus ab vno
Audiet æternum, clari cognominis hæres:
Quod neque Pellæo Iuueni, nec Cæsaris olim
Iustiùs adscriptum est genero. Namque ille trophæis
Arsacidum, & belli partum sudore, cruentis
Cædibus hunc demum tituli fœdauit honorem.
Huic patriæ clades, pollutaque cæde suorum

Dextra dedit, sociusque cruor: tum vindice Sylla
Vel meruisse nefas. Non hoc Mauortia bella
HENRICO peperere decus. Quanquam illa fuere
Qualia nec mendax ausit finxisse vetustas.
Mille acies campo: totidem sub mœnibus acta:
Prostrataque vrbes in terram: auditaque longè
Fulmina cum fremitu raptas torquentia turres.
Sed laudis seges ista minor maiore triumpho
Vincitur. Hanc meriti mercedem, hæc pręmia tanti
Nominis Actææ laurus concedit oliuæ.
Tu quoque Diuorum soboles! fatoque paterni
Sanguinis, & cultu, primisque edoctus ab annis,
Hęc sequere, hos animis vitæque inolescere mores
Paulatim patere, & vestigia nota frequenta.
Nec veró monitoris eges, vocisque magistræ.
Nec tibi se quisquam veterum (modô suppetat ætas
Longior) hac olim certet contendere laude.
Tantus in ore decor, placidique modestia vultus;
Et vox affatu facilis; frontisque serenæ
Certa fides. Puro qualis nitor æthere fulget;
Gemmaque quę fuluo radians intexitur auro.
Aut ebur, aut Pario marmor de monte recisum.
Non rigor in facie, toruique iniuria fastus.
Nulla supercilij nubes: non dextera torpet,
Linguaque reddendę officium cunctata salutis.

Adde animos flecti dociles, quocunque regentum
Consilia, aut castæ traheret reuerentia Matris.
Adde quòd his studijs, & ad has tractabilis artes
Prima rudimentis præstructa est mollibus ætas.
Hoc erat, à primis quòd adhuc vagitibus infans
Non vitam eneruì luxu curisque trahebas
Mollibus, expertemque operis, vel desidis Aulæ
Parietibus septam: quòd raptus ab vbere, nondum
Gressibus explicitis, nec se soluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, strepitusque tubatum,
Ensesque, clypeosque, atque ære micantia tela
Discebas, bellique inter reptare sonores.
Quòd nemore vrbano, quòd aprico in gramine currens,
Laxaque per campi spatia, aut viridantibus hortis
Mille modis Martem, simulataq; bella ciebas,
Haud ignota mihi, atque alio iam carmine dicta.
Hoc erat hoc, quòd te passim spectare licebat.
Ludere quòd tecum miles, quòd cernere vulgus
Ædibus immissum: quòd eo plaudente solebas
Insultare in equo, crebroque lacessere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignes.
Aut procul & iaculo certare, & cominus ense.
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere sonoras.
Quodque absente fores, quàm te præsente reclusæ
Parcius, admissique tua in cœnacula passim

Interſunt epulis, oculoſque per omnia ducunt.
Ergo alacris te te populi, te militis ardens
Ambit amor. De te regni pars vtraque certat:
Vtraque iam ſtabili gaudet ſe fœdere iungi.
O bene concordes! ô nullis cognita ſæclis
Tempora, cùm partes ſeſe diffundit in ambas
Aurea pax: quam non leges, non triſtia cogunt
Vincula, ſed mores, Dominique exempla tuentur.
Vidimus hoc nuper: Pompa gradiente, per arua
Bellicus vt tacitis latè ſtipator in armis
Innocuum properaret iter. Non damna colonus
Vlla ſui paſſus pecoris. (Quid enim oppida dicam
Nullius vexata manu?) Non rapta ſupellex.
Non detrita ſeges campo: tutique per agros
Errauere greges: nil raucæ cortis alumnis
Defuit. Arma inter ſecurus, & agmina paſtor
Pars quoque ſpectantum eſt: turmiſque immiſtus oberrat:
Hoſpitioque capit lætus. Non ruſtica gaza,
Nec paruę infodiuntur opes. Nil triſte ſecutum.
At prius, æratæ quoties, ſeu Martis ad vſum,
Proceſſere manus, ſeu quô fortuna vocaret,
Quale iter, ô ſuperi! quanto terrore profectæ!
Vtque ſub æſtatem mediam, cùm lactea turget
In ſtipulam meſſis: ſegetumque natantibus aruis
Culmina inhorreſcunt, ſuſpirantque horrea fruges,
Sicub

Sicubi fœta vndis, vel densa grandine nubes
Nigrantem cogi in cumulum, ac descendere visa est
Paulatim ad terras, piceoque volumine ferri:
Heu quibus incumbet campis! vbi pondera ponet!
Arrecti circumspectant, trepidantiaque haurit
Corda pauor. Tum præcipiti formidine pastor
Sparsa ciet pecora, & crebris latratibus vrgens
Rupe sub exesa, patulaque sub arbore cogit.
Illa cadens magnamque satis, magnamq; tenellis
Dat stragem arboribus, & spes interficit anni.
Non minus armatę steterant qua parte cohortes:
Aut vbi rauca sonans fremeret tuba; protinus omnes
Saxa per, & montes, nemorumque per auia ferri:
Vasaq; comportare humeris, aut condere terra.
Diripere interea miles quod cuique relictum;
Igne cremare domos, prædamque auertere tectis.
Non ita Borbonidum in castris; solisque tremenda
Hostibus it dispar linguaque habituque iuuentus;
Par ducis obsequio; studioque simillima recti.
Vt quocunque ambo tulerint vestigia, credas
Hos fratres, illum Populi aduenisse Parentem.
Hinc illæ audiri voces, & vota precantum,
Non aliâs sincera magis. Pars longius æui
Metiri spatium, & Pyliis transmittere sæclis
Egregium Iuuenem. Pars haud incerta futuri

Optat Auo similem. Pars in decora alta Parentis,
Ingentesque animos, & non imitabile robur
Mittit. Opes alius Regni ad tutamen habendas.
Hic vouet Imperij fines, quos fluctus vtrinque
Alluit Oceani: quæcunque Oriente refusus
Prima videt Titan, & quæ postrema relinquit.
Non eadem cuncti cupiunt: tamen vna petendi
Mensura est, quod quisque animis ardentibus amplum
Extremumque putat. Sed quanquam ingentia: quamuis
Anxia certatim populi tibi vota laborent,
Vincuntur studijs: nec qui capit illa, tuorum
Se capit affectus. Nil iam superesse quod optet
Exundans queritur. Nam quo sese ipse fatigans
It magis, exuperat magis, atque accrescit eundo.
O pater! ô Regum sator, & sate sanguine Regum!
Maxime Francorum Princeps! quo nulla priorem
Sæcula: pauca dabunt animo manibusque secundum.
Cui nihil ex tanto Superumque hominumque fauore
Clarius accessit; nec habet tua gloria maius,
Quàm quòd progenies talis tibi munere Diuum
Contigit, haud genitori impar: sed nomine claro
Quæ Proauum referens, & te virtute referret.
Quis tibi tunc (æui spatium si fata dedissent)
Talia cernenti sensusque animusque fuisset?
O vtinam populique tui spectator adesses,

Et sobolis! nec te nostro prius æthere caßum
Amborum ex oculis mors immatura tulisset!
Quanquam aderas, & te melior seu Regia Diuum
Orbe tenet medio cœli, quâ noctibus æquo
Libia diem spatio, & Soles compensat iniquos:
Seu Phœbi superare vias, Mundique tenere
Ardua concessum est, geminas vbi lubricus Arctos
Diuidit, & circum in spiras conuoluitur Anguis.
Vnde tuos lustras propiori sidere Gallos:
Non te lætitiæ exortem solennia chari
Pignoris, & populi plausus latuere secundi.
Vidisti, & pariter tecum longo ordine Franci
Indigetes, tua queis peperit consortia virtus.
Ipsum incedentem latè, cultuque decorum
Insigni, proceres inter: se fundere totis
Mœnibus, & magnas occurrere cominus vrbes.
Impleri campos, fremere omnem murmure læto
Cæruleum Ligerim, quo non felicior alter,
His regni auspicijs melioris, & omine tanto,
In mare Francigenum per culta reuoluitur amnis.
Quod si aliâs tanti potuit latuisse triumphi
Gloria: tunc certè, tua cum delubra subiret,
Agnosti prolem genitor: neque fida fefellit
Tot tibi natorum consors, dignata potenti
Connubio, tua cui debet post fata salutem

Imperium, & cara per tot discrimina stirpis
Intemeratus honos. Nam quæ tibi gratior vsquam,
Quáque magis sancti cupiant consistere Manes,
Quàm quæ prima tui meruit cunabula quondam
Sacra Deo sedes, magnique ingentia Cordis
Pignora felici gaudens complectitur vrna?
Hic amor; hoc studium: sera hæc & maxima viuo
Antè fuit, sequiturque eadem post fata voluptas.
Ergo iter aduentumque pia cum Coniuge Prolis
Senserat HENRICVS. Quãquam monimenta doloris
Illa sui aspicere, aut sacros intrare recessus
Sustinuit neuter. Manet alto in pectore fixum
Vulnus adhuc, nimioque timet crudescere luctu.
Senserat ille tamen. Quin & migrantibus Heres
Hanc prior iniecit mentem, paulumque subegit
Flectere iter, nostrisque aduertere mœnibus agmen.
Ille & cunctantem sępe, & diuersa parantem
(Nam quis ad has ventura vnquam tot millia sedes
Crederet, aut parua posset stabulare sub vrbe?)
Aggreditur Matrem extimulans: nec secius instat
Flagranti Puero; Fixamque requirere, Fixam
Suspirare diu iuuenili ardore suburget.
Ventum erat ad Fixam. Teneros hortator alumnos
Idem agit: idem acres sub pectore concutit ignes.
Aduentuque parat; solitasque accingit ad artes.


DE REGIS IN FIXANAS SCHOLAS ADVENTV

EPIGRAMMA.

Consilij sedem, ac Themidis, sua Corda relinquens,
Borbonia Magnus fixit in æde Pater.
Ergo vbi maturos Natus peruenit ad annos,
Sceptra priùs per se quàm rediuiua gerat.
Vt Patris hoc dignè fama, & cordatus obiret;
Auspicia è patrio Corde, animumque petijt.

IDEM GRÆCE.

ΒΟΥΛΗΣ καὶ Σοφίης Τέμενος μέγα πήξατο Φράγκων,
Οἷς λίπε τὴν Κραδίην ἐν Μεγάροις, Βασιλεύς.
Καὶ νεοῦ ἡλικίης ἐπεὶ οὖν Λοδοΐκος ἐς ὥραν
Ἵκετο, πρὶν σκήπτρων αὐτὸς ἐπικρατέειν.
Ὡς Πατρὸς ἄξια ταῦτα κλέους, Κραδίης τε ἁμῆται,
Οἰωνὸν Κραδίης τῆς δ' ἄπο, νοῦν τ' ἔλαβεν.





PANEGYRICVS II.

QVO FIXENSES

MAGNI HENRICI

SCHOLÆ, QVÆQVE IBIDEM

GESTA, DESCRIBVNTVR.

HActenus armorum strepitus, Mauortiaque æra,
Tympanaq; , & sæuis tormenta sonantia flammis:
Effusæque acies, & fulguris instar ahena
Luce renidentes subeuntem ad mœnia passim
Excepere viri. Quin & puerile sub armis,
Hic vbi Turonum Ligeris prælabitur arces,
Delicias regni, hortorumque vbere lætas,
Agmen in occursum portis se effudit apertis.
Quingenti in turmas pueri, sua quisque secuti
Signa, pares habitu vestisque & corporis ibant.
Spicula lentantur dextris, humeroque recurui
Incumbunt tubuli. Sed enim tibi pacis alumno
Armorum exhaustum satis est. Sat Gorgone sæua
Bellica prælusit virgo. Spectacula, Princeps!

Palladis armata nondum tua tempora poscunt.
Ergo eadem alterius specimen tibi comparat artis.
Iam comites quærit Musas. Namque ipse morantes
Arcitenens plectro pater increpat. Ocyus omnes
Approperant, Regemque suum, sua tecta reuisunt,
Vrbe ab Aquitana reduces, temploque minori.
(Hîc quoque Diuarum est sedes: vbi Pictonis agri
Clanius humectat felicia culta, priusquam
Ore Vienna tuo Creusæ se misceat vndis)
Illinc Borbonias properè Chorus omnis ad ędes
Emicat Aonidum. Vos me per cuncta parantem
Ire, Deæ! sacrasque domos, operosaq; Templa,
Borbonio fundata Duci, & quæ digna paternis
Hospitijs tantus spectacula viderit hæres,
Carmine tentantem venientibus edere sæclis
Ducite Pierides. Quâ paulum obuersa Trioni
Flexia vicinos à tergo prospicit Andes,
Vrbe sub extrema locus est, paruisque propinquus
Mœnibus Axem inter, Caurumque nouissimus exit.
HENRICI domus. Hanc prisco de sanguine Regum
Vindocini coluere Duces: quibus alta Pyrenes
Sub iuga finitimus cum Vascone cessit Ibero
Cantaber: & primo lapsum qui fonte Garumnam
Excipiens claudit Volcæ confinia Flustas.
Illic bellipotens, & eadem à stirpe parentum

Et satus, & primis quondam nutritus ab annis,
Ipse lares Phœbo patrios, sedesque sacrauit
Antiquas, spatiisque Heros ingentibus auxit.
Imposuitque viros, certo qui fœdere Templi
Custodes, puerûmq; forent, operumque magistri.
Primus ab ingressu subitô prospectus in arces
Borbonidum antiquas: veteri quâ condita saxo
Tectorum assurgit moles; laxumque fenestræ
Solibus æstiuis iter ad penetralia pandunt:
Seu latere impressæ medio; seu culminis alti
Suppositæ dorso fastigia celsa coronant.
Fronde virent circûm patula, tectique sub imis
Parietibus densę præbent vmbracula ficus.
Inde minor spargit fruticantes Punica ramos.
Frontis ab aduerso facies gratissima; qualem
Ingens ex aditu, spatioque effusa per amplum
Area ab vrbe domum primô subeuntibus offert.
Flectitur hæc læuâ interior. Mox altera rursum
Atria partitis capiunt transuersa Trichoris.
Musarum hic sedes: sectoque cubilia saxo,
Fornice tecta super, castæ notissima pubi
Limina. Mollis vbi, & primæuo flore per artes
Fingitur. Ad dextram gradibus patet ampla reflexis
Ianua: quâ geminam via fert accliuis ad aulam.
Sanctior hæc longe statio. Quæ parte sinistra
Cernitur

Cernitur, hîc Tripodum sortes, cortináque Phœbi.
Arduus vnde sedens Superûm responsa, Deique
Consilia Interpres referat. Discrimine paruo
Itur in aduersum limen, sacrosque recessus,
Numine terribiles multo, & cœlestibus aris.

Has Deus, has sedes habitat Deus. Insuper ipsi
Optauere locum Reges; qui fœdere iuncto
Dextra aram læuáque tenent; inde acer in armis
Carolus: hinc pietate prior, neque Marte secundus
Bis Libyæ domitor. Genus à quo Principe ducunt
Borbonij Heroes: Quorum qui maximus, ingens
Occupat à læua spatium, & supereminet ambos.
Parua vbi tantisper magni sacraria Cordis,
Secretique lares: donec manus vltima templo
Accedat: cœptique operis fastigia surgant:
Quâ latus oppositum brumali tunditur Afro.

Quo te digna loco (si quid, Pater optime! dignum
Esse potest) delubra tuus iam destinat hæres.
Et iam parietibus positis stat desuper ingens
Materies; trabibusque horret silua ardua quernis.
Sectilis in dorsum curuata cacumine nigro
Comprendit tabulata silex. Pars imbribus atris
Perpluitur pridem, tepidoque madescit ab Austro
Interruptus apex. Tum qui defendere posset
Interiora cauus nondum tegit atria fornix.

Ille tibi seruatus honos, Lodoice, paternos
Sedibus vt Manes proprijs atque aggere condas
Perpetuo: molemque suam, sua præmia norint.
Porticus à tergo Solem transuersa cadentem
Respicit. Hæ Templi fauces; & peruia passim
Limina tectorum inter se. Quâ se omnis ab vrbe
Ædibus immittit Musis operata iuuentus;
Æra vbi concrepuere: ruitque effusa vicissim,
Fluminis in morem, alternoque refunditur æstu.
Hac iter ad sedem est, & quæ pulcerrima visu
Regia conclusos septis moderatur Alumnos.
Rarum opus; ingenio vatisque & carmine maius.
Quatuor hîc primûm in partes distincta domorum
Culmina decliui tolluntur in aëra dorso.
Hæc circum. In medio cauea diffusa patentis
Planitis. Talem poteras dixisse Theatri
Effigiem, aut spatijs Circensibus; aut vbi cæde
Pinguis arena rubet: nisi vel sinuata coirent
In quadrum latera; aut plumbi libramine iusto
Directas ab humo totidem ad fastigia tecti
Obijceret facies: nec per deuexa supinus
Cresceret ad summum paries. Latera omnia surgunt
Ordine tectorum triplici. Sua cuique per orbem
Peruia transmittunt liquidos specularia Soles.
Vndique membrorum solida compage, quaternis

Flexibus insertæ iungunt discrimina turres.
Saxeaque ad summum gradibus via secta recuruis.
Talis erat moles, Genitor quam maximus Vrbi
Addidit; inque Foro positam fundauit Equestri.
Si non porticibus circûm interrupta cauatis
Ima forent. Nam nostra cauos neque sustinet arcus:
Et nisi quâ foribus laxatur, in aëra surgit
Pariete perpetuo. Tales tibi, Phœbe, penates
Henrici pietas, & nulli æquanda tuorum
Contulit hospitia. Hîc doctas habitare Sorores,
Séque, suosque adeò iussit. Queis Regia postquam
Successit Magni soboles Patris: intremere omnis
Protinus ex adytis, magnoque horrore moueri
Visa domus: subitoq; afflatu numinis ardens
Pectoribus iuuenum calor incidit. Vnde repente
Emicuere alacres: fremitumque per atria voluunt:
Expediuntque manus. Opere ingens area feruet.
Vndique collucere domus: non vestis, & auri
Fulgure: non Phrygio luxu: neque ditis Eoi
Vellere: non ebore, aut sculpti splendore metalli.
Ingenij labor omnis erat: dignumque Camœnis
Munus Apollineæ fulgebant vndique chartæ,
Suffixæ medio in spatio: quâ septa tabellis
Semita per plenum latè interfusa cucurrit.
Intendunt alij ramos, festaque coronant

Fronde locum. Hic dubia, aut visus fallentia fictis
Ludit imaginibus. Primo sub limine Regem
Admittunt alij: Phœboque afflata salutem
Ora canunt subitô varijs resonantia linguis.
Naiades excipiunt: & quæ vel iussa subiret
Gurgite depresso, vel iussa recederet vnda.
Parte alia rupes educto vertice in auras.
Scrupea, Parnassi effigie: cui turba Sororum
Desuper & cithara venientem & carmine mulcet.
Inde alij: rursumque alij: nec finis: & altum
Iam nemus, ingentesque gradum molitur ad Hortos.
Hæret vtrumque domo, Boream inter, & vltima Solis
Lumina. Sed tenui currens interfluit alueo
Lœrius. Imposito pereunt discrimina ponte.
Hortus ab aprico (primum huc via secta) minorem
Desinit in siluam, & molli prætexitur vmbra.
Numen habere locum memorant. Nam maximus illic
Borbonides primis fertur lusisse sub annis:
Et viridi insultaße solo, cum fortia bella
Disceret, & ficta tentaret imagine Martem.
Et nunc seruat adhuc tenuis vestigia cliuus,
Crate sub arborea modicum laxatus in orbem.
Vnde puer paruos simulatis mœnibus hostes
Proturbare, vel obsessos agitare solebat.
Præterit, & longè cunabula Patris adorans

Læua petit gnatus. Læuam densissimus vmbra
Lucus habet, multa quem religione sacratum,
Intactumque ferunt. Neque enim violare bipenni,
Aut teneros fas est defringere ab arbore ramos:
Plurima quæ læto viridantem gramine subter
Ambit humum, densæque obiectu frondis opacat.
Hic Satyris locus, & statio tutissima Nymphis,
Quæque alia in siluis, campisque virentibus errant
Numina. Quippe illic passim atque impunè vagantur:
Tum quoque cum sese Proles pulcerrima luco
Intulit, & sub qua quondam Pater arbore sedit:
(Fagus erat patulo ramorum tegmine obumbrans)
Agrestes venere Dei, Dominumque potentem,
Et Dominam affati rudibus cecinere Camœnis.
Et cœtu cinxere solum, choreasque dedere,
Frondibus hirsuti arboreis, clauamque gerentes.
Contrà autem nemorum Custos, nemorisque Sorores
Tela tenent, arcumque manu, humeroque pharetram.
Nec mora: fit strepitus: concuritur: & noua pugnæ
In numerum simulacra cient: nunc tela minaces
Obnixique ferunt: nunc terga fugacia monstrant:
Cursibus impliciti alternis. Sonat auia longè
Silua pedum pulsu, atque offensæ murmure vocis.
Venit & armipotens Virgo, & Cyllenide natus
Aliger: & longa Vatum stipante corona

Delius. Hos inter cithara Rhodopeius Orpheus
Personat: impulsa mouere cacumina quercus:
Scena dehinc, Regi Solymæáque bella, necisque
Virgineę, & miseri casus spectatur amantis.
Talibus Henrici ludis, plausuque Penates
Vndique feruebant. Nec enim comprendere refert
Omnia, nec fas est: non si centena sonarent
Ora mihi. Et verô iusta plus parte laboris
Iampridem exhaustum est. Iuuat insultasse priori
Emeritum campo. Spumantia fræna quadrigis
Detrahere, atque alios liceat spectare ruentes.
Quippe opera ad maiora nouus vocat ordine Vates,
Extremumque decus: nec iam puerilia pompæ
Fercula: felicis repetita exordia Regni.
Commissasque tibi tandem florentis habenas
Imperij: quæque attonitus spectacula vidit
Sequana. Me placido tutum iuuat æquore ferri.
Nec mihi præcipiti pendet leuis orbita cliuo.

AD REGEM IN SCHOLARVM ADITV.

DVM tua Borbonijs infers vestigia tectis,
Sacraque Pierio Numine Templa subis,
Pars confecta operis, pars imperfecta, laborat
Vtraque te gaudens adueniente domus.
Illa placere tibi cupit, & spectata probari.
Hæc eadem per te sperat, opemque petit.

IDEM GRÆCE.

ΕΝΘΑΔΕ σου Λοδοΐκε Πατρὸς ποτὶ δώματ' ἰόντος,
Δώματ', ἅπερ Μουσῶν λαμπρὰ τὸ νῦν τεμένη.
Τούτων τ' ὅσσ' ἤδη τετελεσμένα, ὅσσα τ' ἔτ' ἐστὶν
Ἡμιτελῆ, ἄμφω πολλὰ γέγηθε μέρη.
Κεῖνα μὲν ὀφθῆναί σοί γ' ἵεται, ἠδ' ἀρέσασθαι.
Ταῦτα δὲ τῶν ἴσων ἐκ σέθεν ἀντιτυχεῖν.

POMPAE REGIAE
PARS SECVNDA.

EPHEBIA
SEV DE REGE PVBERE ET POR-TICV LODOICÆA.

Authore P. NICOLAO CAVSSINO
Trecensi è Societ. IESV.

E



LVDOVICO XIII.

FRANCORVM ET NAVARRORVM

REGI GRATVLATORIA.



REDEVNT ad te gratulatum Hospites tuæ (Regum humanissime) FLEXIENSES Musæ, & ad tuæ Maiestatis sacrarium liberius accedunt. Putant hoc deberi, vel tibi, vel sibi, vel communi, etiam Pietati. Tibi quia Regi debentur omnia, sibi, quia hoc hospitij ius esse credunt, vt eum vicissim reuisant, a quo fuerint perhumaniter, visitatę. Nuper illa FLEXIENSIS domus Parentis tui FELICIS cunabula, tuis pressa vestigijs risit. Te paterni saltus, & luci, te parietes, te Lares, tanquam Angelum Dei serenissimo vultu renidentem viderunt. Satyri, & Nymphæ rusticana nu-

E 2

mina ſalutarunt, ipſi arcus, ipſæ pyramides, ipſæ imaginum flexuræ, erecta in tui nominis laudem monumenta geſtiebant. Cor Paternum ingentis olim animæ domicilium, nunc pretioſiſſimum regij in nos amoris pignus exultabat, quod te & regni, & amoris hæredem haberet in eos, quos tam impensè, tam regiè dilexerat. Quidni igitur his freti pignoribus accedamus? Sed & PVBLICA, vt dixi, PIETAS iubet. Tu enim teneræ ætatis annos emenſus, & ex pupillo tui iuris factus, regnum incipis moderari. Tu, cui pene eodem tempore datum eſt Naſci, Sapere & Regere. Cœpit onus tuum eſſe, quod honos antea fuerat, & nos oneris tui pars non infima, inter effuſas omnium gratulationes hæc EPHEBIA perſoluimus, pubertatis tuæ primitias, hoſpitij iura, officij debita, æternæ obſeruentiæ monumentum. Gratulamur tibi puberes annos, gratulamur principatum, gratulamur fauſta principatus initia. Eſto non diu Puber, cito Iuuenis, vir maturè, tardè ſenex. Viue, regna, triumpha. Vince

armis Clodouæum, religione Pipinum, felicitate Capetum, Robertum iusticia, sapientia Carolum vel, vt compendiosius dicam, Redde nobis LVDOVICVM. Redde nobis HENRICVM: omnia dederis. In te vtrumque expectamus. Hoc nomen tuum, hoc sanguis, hoc regni principia pollicentur. Solem meridianum è crepusculo iudicamus.

M. T.

Deuotissimus Nicolaus Caussinus
è Societate IESV.

VOEVX
DES MVSES SVR LA MAIORITE' DV ROY.

AV ROY.

SORTEZ ô braue Aiglon de l'aisle de la Mere:
Ia vostre astre natal la balance des Cieux,
Porte deux fois sept ans: sortez, iettez les yeux
Sur ce Soleil des Rois, sur HENRY vostre Pere.
SorteZ il vous regarde, au poinct qu'il se coucha,
Vous vous leuieZ desia: il se couchoit au monde,
Et se leuoit au Ciel, pour commencer sa ronde,
De ses rays viuement alors il vous toucha.
Sortez qu'attendez vous! Helas la pauure France
Qui fonçant de ses ans pour allonger vos iours,
Haste les pas du temps courriers de ses amours,
Vous a faict par desirs vieillir en vostre enfance.
SorteZ ô braue Aiglon, le soleil vous attend,
Il y a quatorze ans que vostre Mere enfante:
Enfanter vn enfant, ce n'est pas son attente,
Enfanter vn grand Roy, c'est ce qu'elle pretend.
Elle porte le faix d'vn Roy, & d'vn Empire,

Car elle a plus de cœur qu'vne Semiramis,
Et au cœur plus de sens que la sage Themis.
Sortez, & soulagez son auguste martyre!
Sortez qu'attendez vous? la lumiere est éclose,
L'Olympe est tout ouuert. Pour vous le Ciel riant
Fera de l'Aquilon vn perleux Orient:
La terre soubz vos pas fera naistre la rose.
C'est assez ie vous voy au trosne Paternel.
Ou despouillant l'enfance, auez pris en eschange
Le corps d'vn demy-Dieu, & la bouche d'vn Ange,
La prudence d'vn Roy, au sein de l'Eternel.
Sur ces lys, comme vn lys estincellé des flammes
De ces Astres pourprés qui brillent tout autour,
Facond comme vn Mercure, & beau comme le iour,
De rays, de feu, d'amour, vous consommez nos ames
Vostre douce vertu plus vieille que vos ans,
Vostre sang, vostre cœur, vostre âge qui fleuronne,
Enfile tous les cœurs pour faire vne couronne,
Les cœurs de vos subiects ce sont vos Diamans.
O petit Salomon, en paix, & en police,
Dans le sein de Themis plantéz le lys François,
Mariez nous la paix à l'equité des loix,
Et faictes de la France, vn beau lit de Justice.

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ

ἡ θεὰ Βασιλεία.

ΤΕ'κνον, ψυχίδιον πατρὸς ἀμύμονος,
Καὶ Μητρὸς γλυκερὸν θάλος.
Τέκνον τῆς βασιλῆς ὄμμα σελασφόρον,
Πάντων καὶ μέλι, καὶ Κέαρ.
Δεῦρο. Πατρὸς ἔχων δίφρον ἀνάκτορος,
Φεγγκων ἡνία λάμβανε.
Σοὶ μὲν προσγελάει ἀμβροσία Τύχη,
Χεύει δ' εὐτυχίας πίθον.
Σοὶ Παλλὰς σοφίαν, σοὶ χάριτες μέλι.
Σοὶ Μοῦσ' ἀθάνατον Κλέος.
Α'ρχου τῆς βασιλῆς ὡς ΣΟΛΟΜΩΝ νέος,
Παῦσαι δ' ὡς ὁ γέρων ΔΑΒΙΔ.

IN EAN-

IN EAMDEM MATERIAM.

ODE.

QValis perosus vincla puerperi,
Lētam Dianæ sollicitat manum,
Gestitque in auras exilire
Magnanimi Catulus Leonis:
Mox arte patris impete præferox,
Primique Martis lætus adoreâ
Prægestit agris, & sequaci
Dente premit capreas fugaces.
Talis paterni sanguinis æmulus,
Per lucem Auorum Borbonides celer
Torrente iactat impotenti
Ingenij Genijq; pondus.
Nec vis, nec ætas sustinet impetum:
Sed prænolanti numinis alite,
Curas parentis laureatas
De viridi meditatur æuo.
Depone luctus Francia, Francia,
Iam sceptra flectit pubere dextera
Henricus alter, sanctum amoris

F

Depositum, fideique pignus.
Inter micantes vndique purpuras,
Fulget decoro sidere purius:
Et dulce lumen liliorum
Purpureis radijs serenat.
Pictis renidens GRATIA Floribus,
Diuesque miti SVADA pluens fauo,
Regis labellis sessitauit,
Eloquij meditata nimbos.
Talis Dauidis post cineres Puer
Ingens Idumes sceptra tenet Patris:
Deoque discit sub Magistro,
Imperijs dare lora primis.
Mens ante tempus Cæsaribus venit,
Plenaque cœli ductus ab vbere
Fœcundat haustus, perque Diuum
Gesta rapit, patriasque lauros.
Ridete tanto Principe Lilia,
Heroe tanto crescite lilia,
Certate Susis & feroces
Arsacidum superate fastus.



EPHEBIA REGI

EXPVPILLO DEAE BASILEÆ DONVM.

Basilea regnorum Dea ad Regis expupilli Pompam, & cerimonias aduolans, nouis auspicijs nouum munus affert, Coronam Maiorum rebus gestis artificiosissimè insculptam. E quibus Regem ad Heroum decora incendit. Dio Prusæus orat. 1. de Regno.



IBRA tibi optatum bis septima computat annum, Regis pubertas.
Fataque clementi ridentia temperat astro.
O magni germen cineris pulcerrime. PHOENIX!
Ah quoties tardæ castigans stamina Parcæ,
De proprijs annis tibi Francia detulit annos!
Ah quoties votis onerarunt æthera ciues!

Et te pene senem ex puero fecere precando.

Reginæ matris affectus & curæ.

Ipsa laboranti Mater bene subdita regno,
Dum numerat menses, & tanto pondere sudat,
Annorum conquesta moras, quibus oscula figit
Optat sub labris teneros pubescere vultus.
Sat curis Regina datum, suspiria pone;
Pone pios questus. Hic rapti Patris imago
Filius, & vidui solamen nobile lecti,
De puero iuuenis sub Patris sidere creuit.
Iam voti mensura tui, mensura Parentis.
Aspicis vt roseos Hebe suffundit honores
Vt vultus implet Genio, frontemque serenat,
Et spargit lenes per viuida lumina flammas?
Iam sensere faces oculorum pondera Mentis.
Progredere, ô magnis soboles, non indiga Diuis,
Progredere ô tandem fessis sacra anchora rebus,
Progredere, & meritos (venit iam tempus) honores
Aggrediens, Francis HENRICUM redde Parentem

Pompæ celebritas

Ecce tuis afflata oculis pulcherrime Regum,
Exilit immensi Regina Lutetia mundi.

Domnatas luces, & leuę nubila mentis
Exuit, atque tuo ridens hilarescit ab astro.
Iam tota in mites consedit gloria pompas:
Vix typus orbis habet tantæ spectacula laudis,
Densum humeris vulgus cunctis vomit ædibus vndam
Ex mixti senibus pueri, Matresque puellis
Ostendunt, visuntq; simul. Rapit ardor ouantes.
Consedere Nurus magni decora alta palatij
Prætexuntq; omnes pompa famulante fenestras.
Inter quas pleno fulget tua Cynthia cornu,
Illa AVGVSTA Soror *patriæ contermina menti,* Regis Soror Augusta.
Quam Decor & virtus meliori pollice finxit,
Hęc te vnum spectat dudum, te pascitur vno,
Deque tuis radijs sanctos exsuscitat ignes:
Parte alia pleno stat Curia pulchra Senatu, Senatus Parisiensis.
Eximia grauitate Patres, *queis indita cœlo*
Pectora, quæ mundi norunt euoluere curas:
Intenti exspectant vt mox gratentur honorem,
Et Regem excipiant studijs, animisque parati.
Quorsum animi tandem formosa Lutetia pendes?
Ne dubita veniet, veniet LODOICVS *ad arces*

Dum loquor ecce venit, fremitu iam semita feruet.
Regis comitatus.
Iam volitant Proceres, auroque ostroque decori.
Et iam puluerean alipedum quatit vngula nubem.
In medijs HENRICIADES *pulcerrimus extat,*
Lucidior stellis, & primo maior Eoo.
Principes cōsāguinei. Regis frater.
Cui comes it FRATER *magnæ spes altera gentis,*
Sidereo flagrans vultu, & cœlestibus auris.
Princeps Condæus. Comes Suessionensis & alij Principes.
Condeusque *Heros alto de sanguine Regum.*
Quique tibi æquali LODOICE *adpubuit æuo*
BORBONIVS *tener, & tenero dilectus amore.*
Ductoresque alij felicis robora sceptri.
His totam pleno se Gloria numine fundens
Ingerit ardenti pictos de murice flores.
Minæ pluuii cœli compressæ.
Ipsa etiam mirata decus stat, conscia Iuno,
Quæ vit[illegible] curuo suspendit fornice nubes,
Lapsuras [illegible]orquet aquas, nimbosque minaces,
Et picturatum croceis ligat aera zonis.
Curia Parisiensis.
Deuenere locum augusta penetralia sedis,

Hic vbi Purpurei Patres *oracula fundunt,*
Et castigata trutinant æqua omnia lance.
Hic Themidis LODOICVS amor, Princepsque Senatus.
Liligero innixus solio sic incipit ore.
Magnanimi Proceres, clarissima lumina gentis, Oratio Regis in Curia
Hactenus in vestris surgens vt flosculus vlnis,
Sub Matris cura, & Genitoris sidere creui.
Nil tibi cara Parens sancta Pietate relictum est.
Omnia soluisti venerandi funeris vmbris,
Omnia surgenti Nato: nec vota morantur.
Nunc tacito dudum feruet sub pectore virtus,
Ætatis truditque moras; lucemque coruscam
Sollicitat, per auos, Heroaque robora currens.
Stat quod iura volunt proauos æquare regendo,
Et patrijs insueta iugis supponere colla.
Ardua res homines moderari, & flectere regna.
Sed vis de cœlo Reges regit, aptaque magnis
Ponderibus, tacitis dispensat sæcula fusis.
Testor ego patrios cineres, manesque beatos,

Non animo insedit regnandi cœca libido,
Vt mihi barbaricus circumliget alta Tiaras
Tempora, & ambrosio crinis pinguescat Amomo.
Hoc vnum spiro, vt cœlestia iussa Parentis
Exequar, & patrias iusto moderamine leges.
Non exortem oneris (Mater) te regia virtus
Esse sinet. Pietas te coget subdere dextram,
Nec tu si cupias sancto pugnabis Amori,
Qui iubet in partes tecum diducere curas.
O mihi si tantum teneros accedat ad annos
Quantum tot meritis Mater, Procerumque, tuisque,
Sit fecisse satis, Pulchra me sorte putabo.
Oratio Reginæ.
Dixerat & placidè Mater sic ora resoluit.
Depositum tibi Nate, diu per lubrica rerum
Seruatum reddo (quando sic fata tulerunt)
Ex quo me viduam melioris conscius æui
Deseruit terris, HENRICVS credidit vni
Depositum vt nosti geminum, geminumque relinquo
Et Regem, & regnum, sat formidabile pondus

Fœmineis

Fœmineis humeris. Vis cœli plenior omnes
Composuit motus, atque vtraque salua beauit.
Nunc te bis peperi, mea lux dulcissima, post-
quam
Et vitæ, & regno seruatum fata dederunt.
Viue tibi & patriæ: Patris quod demitur
annis.
Impleat hocce tuos: Me, si quid viscera possunt,
Materna, & tantæ suadet pietatis imago,
Jussa adero curis, oneris partemq; subibo.
Hæc vbi dicta. Sacrę torrentia flumina mentis.
Effundunt Proceres, nimbos æquantq; pro-
fatu:
SILLERIVS tonat hinc, animata legis Orationes clariss. procerum.
imago,
Os Regis, populiq; Parens, & Iuris Asylum.
Illinc VIRDVNVS primi fax prima Se-
natus.
Cor Themidis, lux Astrææ, Suadæque medulla,
SERVINVSQVE potens & mente, & ful-
mine linguæ:
Custodes sacri decoris, veterisque columnæ
Iustitiæ, cœlo qui lilia figere certant.
At Dea regnorum faciles quæ flectit ha- [illegible]
benas,

(Hanc Graij veteres Basiliam nomine dicunt)
Inter purpureas effulsit candida nubes,
Inque caput Iuuenis rutilo descendit ab axe,
Clam, non visa alijs, solis bene cognita mystis.
Detulit ætherea radiatam luce coronam,
Auspicijs noua dona nouis, regalia Regi:
Rarum opus, & nostro non enarrabile Marte.

Coronæ descriptio.

Nempe hic Mulciberi viuit manus, aptaq; lenta
Auri diffudit stillantia flumina massa.
Hic acri lima tenuatum rasile pondus,
Ludit in effigies varias: Erraticus orbis
Hic labyrintheos flexus imitatur in auro.
Vndique gemmarum distinctus fulgurat ordo,
Tempestas pretiosa maris, flammatque tuentes.

Reges Frãc. maxime insignes.

Hic Regum effigies spirant, quos prisca tulere
Sæcula, iusticia claros, & Marte feroces.

Francorum ortus.

Parua quoque hic nostræ surgunt cunabula gentis,

Sali fluuius vnde salica lex.

Francones, exiguusque Sali, notissimus amnis,
Ex quo olim Salica fluxere oracula legis.

Merouæus Rhenum transgreditur cum Aëtio & Theodorico Atilam fundit.

Fulminat hic primis acer Merouæus in armis,
Captiuique terit stridentia cornua Rheni.

Exinde vndantes reprimit mucrone cateruas
Hunnorum, armatas in mundi funera pestes.
Iamque Atilam calcat fretus socialibus ar-
mis,
Prædonem Europæ, cœlo, terrisque timendum.
It sanguis per opes, miniatumque inquinat au-
rum.
Caduntur, cæsæ viuunt in vulnere Moles,
Atque animis extant, anima iam deside cassi.
Ipse Atilas exspes, concisæ fragmina gentis,
Naufragia alta trahit, turpes geminatque rui-
nas.
Parte alia spolijs Alarici clarus opimis, Clodouæus
Assurgit stellanti ingens CLODOVÆVS in
auro.
Prima fronte ferox, mox leni mitior agno
Deponit fastus, genitali perlutus vnda.
Illic REMIGIVS Francis venerabile D. Remigius cũ Tiara & veste lineata
nomen,
Tempora cui vestit tractu currente Tiaras,
Argento vestis radiat, luditque per artus
Crispula, & aggestis imitatur carbasa rugis.
Circum quaque animæ zephyrorum supparaver-
runt
Linea, & argento flatus imitantur inanes.

sancta Phiala

Ipsa etiam phialam rostro famulante columba
Porrigit, ætherei rorantem chrismate Patris,
Intenta exspectat, ceu magni conscia sacri,
Et leni corpus delibrat in aera gyro.

Marcellus Abderamũ cũ quadringentis millibus Sarracenorũ delet.

Hic quoque MARTELLVS vero de nomine Mauors,
Aurea gesa rotans, viuaci missa lacerto,
Et sæua intorquens Agarenæ fulmina genti.

Pipinus.

Proximus huic PIPINVS erat, maiorque parente

CarolusMagnus.

CAROLVS, agnato virtus contermina cælo.
Circum Auares, Hunnique tremunt, Mauriq;, Arabesque,
Sternuntur terræ, ponunt freta, sydera pugnant,

Noua nomina dabat ventis ac mẽsibus, post subiugatas nationes.

Ac Regis discunt leges, & nomina venti.
Hinc Desiderius toties in fata resurgens,
Vltima captiuę deplorat vulnera gentis.

Saxones victi Christo aggregãtur.

Saxonis huic male-fida, fides contunditur armis,
Qui victus, victorque sui, mysteria legis
Suscipit æthereæ, sacrisque renascitur vndis.
Qua steterant laruæ, Christi vexilla refulgent,

Irminsuldolum Saxonum Cranz.

Feralesque cadunt damnati IRMINSVLIS aræ.
Hesperijs illinc bella hori[illegible]ia miscet in oris

Et Mahometanas ferro metit alta phalanges.
Bis seni circum, Regni decora inclyta Patres, Duodecim Patres siue Pares Franciam.
Armati exiliunt, ceu rubri fulminis alæ
Hic etiam Ganæus equis pernicibus actus,
Irrotat vepres lacerum sine funere funus.
Mox functum bellis victorem suscipit vlnis Carolus magnus coronatur Romæ.
Roma pijs Francorum armis, opibusque beata,
Et sacros ornat merito diademate crines.
Non lõge magni surgit mens celsa CAPETI, Hugo Capetus.
Cui regni consors proles grandæua Robertus Robertus
It comes, & paribus sustentat pondera curis:
Sub quo ridentis facies pulcherrima regni
Splenduit, & pulso viuacia sæcla veterno,
Incepere diu meliori currere fuso.
Quid memorem Sancto fœlicem Marte PHILIPPVM Philippus I. sub quo expedit in Orienté.
Sub quo flos Gallorum, Heroę robora Pubis,
Post varios passim terraq; marisque labores,
Diruit Eoas excelsis viribus arces,
Et Solymæ tandem Christi vexilla locauit.
It pelago generosa cohors, & cærula verrit,
Sydereæ aspirant mentes, stupet inscia Thetys,
Atque audita pauent Heroum ad classica venti.
Hinc alter volitans acri virtute PHILIPPVS, Philippus Augustus Othonem vincit
Cæsaris audaces aquilas circumtonat armis,

S. Ludouicus. *Et coniuratos Europæ subruit ausus.*

Mitior inde Nepos pulchro flauescit in auro:
Floribus illusus varijs, cui tempora circum
Ardentes fundunt radiato vertice flammas.
Hic superum LODOICVS amor, regum optimus olim,
Qui terras armis æquauit, pectore cœlum.
Nam latè vexilla tulit victricia Christi,
Per maria, & rabidas Syrtes, gentemq; repostam
Maurorum, ac fusas armato turbine pestes,
Impauidus monstris, extrema per omnia fortis:
Largus opum, iurisque tenax, Rectique satelles,
Atque animam doctus pro relligione pacisci,
Mens sancta, & magnis non præcox addita Diuis.

Carolus V. Sapiens. *Hinc quinti insequitur mitis sapientia CARLI,*
Carol. VII. regni instaurator. *Impauida, & dubijs rebus tranquilla potestas.*
SEPTIMVS amißi sustentat funera regni,
Altior ille malis, fatoque potentior omni,
Accisas instaurat opes, Patriamque sepulchro
Effossam, mirum; rediuiua luce reformat.
Ioanna puella belli fulmen. *Proxima stat Regi, Cambris fatalis Amazon*
Ignem, hyememq; ferens, tempestatesq; cruentas,
Alcidæ similis virtute, & funere Virgo.
OCTAVVS Latias iuuenili Marte phalanges

Fulminat, & latè defert terroribus arma. Carolus 8. Italico bello clarus.
Hos inter LODOICVS erat, ſat nomine notus Ludouicus XI.
Vndecimi, intentus quærendi, & ſedulus arte,
Imperioſa anima, & regni vitæque tenacis.
Proximus ille parens populi LODOICVS, & altum Ludouicus XII. Pater populi.
FRANCISCI robur, meliori ſidere dignum. Frãciſcus I.
Franciſcuſque alter, viridi demeſſus in æuo
Floſculus, & Noni ſequitur mẽs ignea CARLI. Frãciſcus II Carolus IX
Haud numerem cunctos, quos viuo reddere in auro
Vulcanus ſtuduit, nec opus mihi reddere verſu.
Stant HENRICI omnes, ſed QVARTVS maximus exſtat, HENRICI
Ille tuus LODOICE parens, quem diuite vena HENRICVS Magnus.
Formauit Natura potens. Nam pectore in vno
Regum omnes congeſſit opes, miracula cæli
Omnia, quę multis diſtenderat abdita ſæclis.
Illum per mortes, per dira ſonoribus arma,
Fumantes muros, & ſæui incendia belli,
Magnus agit Genius, volucri pernicior igne.
Vincere, cui ſoli ludus, cui parcere munus.
Circum Europa fremit ſonitu, tantumque tuetur,
Et ſtupet audacis clementia fulmina dextræ.
Exinde effultus palmis per cęrula templa

Impauidus molitur iter, cœloque receptus
Borbonidum geminat cumulato sidere sidus.
Hæc varijs impressa notis Basilia ferebat,
Et simul imponens Regi bene-suada coronam,
Addidit hæc donis prudenti pectore dicta.
Basiliçe oratio ad Regé. *Aggredere ô fili moliri grandia rerum,*
Et proauos reges immensis reddere factis:
Nunc, quando in tenera vt cernis ceruice recũbit,
Grande onus, & maius primũ surgentibus annis.
Sed iam prima tui: diffusa crepuscula regni,
Ignea mens; pietas animi, sanctoque renidens
Gratia flore, virum loquitur, curasque viriles,
Et spondet Regem Magni sub nomen iturum.
Disce decus verum à tenero, sanctósque labores:
Fortunam finget Deus, & moderabitur astrum.
Deus Regũ omniũ Rex & Parens. *Solus inaccessę retinens sacraria lucis*
Sub pedibus sublapsa videt retro omnia ferri,
Informes fœtus, & magnæ lucis egentes.
Unus habet puris laqueata palatia flammis,
Et mare veliuolũ, & terras, campósq; liquentes.
At vos adsciti Reges quota portio tanti
Numinis, imperio terram frænatis, & acres
Diuiditis toties diuisum, in punctula punctum.
Regnũ Dei depositum & decora creditus. *Hoc tamen est donum superum, magniq; parentis*
Depositum, exquiret, postquam te Parca decoro
Obsequio

Obsequio functum dabit exactoribus astris.
Fac primum cultu venereris numen auito,
Et noua sacrilegæ fugias contagia mentis.
Hoc solo regnas, quod Regem agnoscis Olympi.
Dein Matrem Augustam regni per lubrica duro
Seruitio enixam, æterna pietate verere.
Has tibi relliquias superi statuere Parentis,
Dulces relliquias, sanctum & venerabile nomen.
Huius consilijs rerum moderamen inibis
Lene magisterium nactus, faustasque secures.
Iustitiam exerce imprimis, tenuisque popelli
Solare afflictas animas, sic itur in alta
Pectora, sic amor æternis radicibus hæret.
Fac Iræ furiam, & cupidi deliria cordis.
Æternum vites, formosi corporis vmbra
Effluit, & cupidam populat vecordia mentem.
Dilige tranquillam pacem, temeraria multis
Bella nocent, ditat Reges sedata potestas.
Ad summum in Francos te nunc regnare memento,
Te debere Patrem populo, teque auspice Christo
Maiori regno deberi. In voce recessit
Et liquidos duxit fugiens per sydera tractus.

H

PORTICVS LODOICEA

REGI EXPVPILLO

ERECTA, VARIISQVE EMBLEMATVM Flexuris illigata quæ eius vitæ, & annorum seriem complectuntur.

ICON I.

Nobilitas Natalium Regis.

PICTVRA.

BORBONIVM Stemma expressum erat per auream arborem, coronis, sceptrisq; onustam, ramis ad cœlum vsque pertinentibus: Qua significatur Borboniorum domus, innumeros mundo reges, atque imperatores, cœlo etiam Diuos dedisse.

ARBORIS REGIÆ PROSOPOPEIA.

SCeptra mihi frondes: mihi sunt Diademata flores,
Heroes radix: Germina Cœlicolæ.
Felix ante alias: seu sim Dea, seu vocer arbos.
Tam bene fulta solo, quam bene culta Polo.

IN EAMDEM PICTVRAM

Heroicum.

QVæ sic aërias aurato vertice nubes
Despicit arbor ouans, vicinaque sydera lambit?
Vnde nitent gemmæ, dulcique animata susurro,
Bractea cum Zephyris ludit, ridetque fluentis
Spargens luce nemus, Pactoli diuitis aura?
Agnosco Herois effultum stemma columnis,
Et Dominam gentem, cui mundi debita regna
Veridicæ æterno statuerunt numine Parcæ.
Nil nisi sceptra vides; quot vernis frondibus arbos,
Quot spicis crispata Ceres, quot pullulat Hybla
Floribus irradians, tot nititur illa coronis
Ardua candentis prendens fastigia Cœli:
Hac Proceres abiere pij, quâ *viuida virtus,*
Qua tulit ardenti radiatos gloria curru.
Et nunc membrorum terrena mole soluti,

Sydera syderibus cumulant, cognataque ditant
Lumina, dum cœli rapiunt per templa curules.
Magnanimi Heroes, melioris corda metalli,
Aspirate precor, vestro si germine creuit
BORBONIDES noster, magni Patris aurea proles,
Hic patrios animet cineres, HENRICVS in illo
Viuat, ouet, regnet, fœcunda morte resurgens,
Atque in Prole Pater, Proles in Patre virescat
Eueniet tantum puero maturior Hebe
Spargat honoratas dulci lanugine malas.

ICON II.

Medicæum Stemma.

PICTVRA.

EVARDVS MEDICÆVS HEROS sub Carolo magno Mugellum gigãtem ferali rabie prædonem sternit, & Florentinos vastitate liberat, a quibus æternis honoribus affectus Medicæorum in Italia propagat genus.

DISTICHON

In clypeo Medicæi insculptum.

Mugellus cecidit, viuit FLORENTIA, debet
SOTHERI EVARDO, quod sua Phlegra Ioui.

IN EAMDEM PICTVRAM de Mugello interfecto Heroicum.

ARdua se tollit MEDICÆIS gloria rebus,
Iam Ditis cecidere minæ, iacet ille Colossus
Inuisus superis, dignissima pestis Auerno,
Qui Iouis ætherei Cyclopea fulmina ridens,
Insertare caput Diuis, mundumque mouere
Cardine diuulsum cœco molimine nuper
Ausus erat, iacet hic demorsus puluere truncus.
Nunc etiam informes gyros, resolutaque membra
Dira mali facies animat, languensque Megæra
Spargit torpentes per mortua lumina flammas,
Indignata premi, & fractæ dat murmura vocis.
Hic domus apparet tristi collapsa ruina,
Atque illaudati turpes Busiridis aræ.
Hic laceri pendent artus, semesaque præda
Eructat miseram saniem, circumundique putris
Liuet humus, tetramque exhalat sæua Mephitim.
Interea victor MEDICÆVS tollit ad astra
Verticis igniferi radios, cui diuite cultu
Nectit odoratas sospes FLORENTIA lauros.
Macte Heros superum donis, longamque sub astra
Progeniem læto MEDICÆOS excipe vultu.

ICON III.

Reginæ Matris Dotes.

PICTVRA.

MARIA AVGVSTA longè aliter quam illa Pandora Hesiodi, a Iunone, Themide, Pallade, & Venere, varijs muneribus donatur.

CVi Iuno Diadema paras? cui Cypria cestum?
Cui mentem Pallas? cui trutinam alma Themis?
O dilecta Deo, quam cingunt agmine Diuæ,
O quam te memorem, numne futura Dea es?
Vel Dea, vel Galli Regis coniuxque, Parensque
In terris maius iam nihil esse potest.

ICON IV.

Henrici Magni & Mariæ thalamus.

PICTVRA.

MARIA AVGVSTA aureo Hesperidũ malo ab Hercule Gallico donatur, & in vxorem adsciscitur.

ACcipe felicis ridentia numina syluæ,
Quæ sua sed fallax dixerat esse Venus.
Aureolo sola es malo, sola Hercule digna.
Natura mulier, Corde vir, ore Dea.

ICON V.

Natalis Regis sub Libra.

PICTVRA.

E Libra cœlesti prodit Cornucopia in Regem Infantulum florum & fructuum copiam effundens, Iustitia & Pace a dextra sinistraque circumstantibus.

LIbra Sacrum sydus, formosæ conscia lucis,
Infantis DOMINI *clarior hospitio:*
Prima serenatas rapies per sydera pompas,
Et sparges terris nectar, & ambrosiam.
Non Aries fuluo contendet vellere tecum,
Sub quo infans mundus desijt esse chaos. Mundus censetur creatus sub Ariete.
Cur ita? nascentis vidit cunabula mundi,
Tu Dominum mundus quem velit esse suum.

ICON VI.

Cælestium in Regem natum fauor.

PICTVRA.

Natum Regem Francia in clypeo, vt olim designatos Reges sublimem ostentat, & suauissime amplectitur. Carolus Magnus, & S. Ludouicus ex aurea nube conspicui infantulum lilijs rosisque aspergunt, melle quoque & nectare perfundunt.

AD CAROLVM MAGNVM ET S. LVDOVICVM.

Cæli gemmea sydera,
Queis se iactat ouans Francigenum decus:
Regum maxime Carole,
Quem Phœbus gemino vidit ab æquore
Terrarum Dominum, & freti.
Tuque ô DIVE iugum quem indocilis pati
Prędo Mauricus horruit,
Millenis ratibus dum tegis æquora,
Lentam sollicitans Thetim.
Nunc grandes animæ curribus arduis
Axes scinditis aureos.

O tantum

O tantum libeat spargere florea
Vestrum messe nepotulum!
O tantum libeat nectaris imbribus
Hoc perfundere corculum!
Quàm bellè facitis! fundite, fundite!
Nectar, mella, rosæ pluant
In pectus Domini. Quid populo nisi
Nectar, mella, rosas dabit?

ICON VII.

Præsagia Natalium.

Nascente Rege noua stella in oloris collo suauiter illucescens emersit.

PICTVRA.

OLOR Lodoiceus cum Sandochi Leone & Augusti aquila comparatus.

Sandochus en molli lentus requiescit in herba,
Quem tremulo lingit mitior ore Leo.
Colludunt aquilæ paruo cum Cæsare: totus
In volucri puer est, in puero volucris.
At noua Borbonio nascuntur sidera mundi:
BORBONIO Stellas gemmeus auget olor.

Nunc age posteritas, confer præsagia Regum,
Illa feris, hæc sunt munera digna Deo.

ICON VIII.

Omina Pueritiæ.

PICTVRA.

Suet. in Augusto.

Hercules infans angues necat. Augustus infans ranis silentium imperans, vt est apud Suetonium, lacum tranquillat. Sic *LODOICVS* a puero blasphemis, & calũniatoribus infensus, eos primum Maiestatis suæ reuerentia restringit: mox etiam lata in blasphemos lege, felicibus regni auspicijs coercet.

ELidit geminos annis surgentibus angues,
Alcides maior viribus ipse suis.
Increpat Augustus ranas, impuraque stagna.
Rana pauet iussus, stagna repente silent.
Tu quoque tu sæua vibrantia sibila lingua,
Tu turpes ranas comprimis ore Puer.
Quod fuerat Diuis olim commune duobus,
Hoc totum, PRINCEPS, incipit esse tuum.

ICON IX.

Regis educatio sub Matre Augusta.

PICTVRA.

Aquila in Liuiæ Augustæ sinum gallinā albam laureo ramo insignem demisit. Illa auem sobole, arborem propagine, Regni & Cęsarum FATVM feliciter amplificauit. Dion L. 48

MARIA AVGVSTA acceptum ab Henrico Regum aquila Gallum Regem Liliorum candore illustrem, & ipsum & lilia felicissimè conseruat.

Gallinam pedibus quondam Jouis armiger vncis
Forte in Drusillæ deposuit gremio.
HENRICVS Gallum niueo candore micantem
In DOMINÆ fudit pectus ad astra volans.
Quæris vtrum maius? sorti prudentia præstat,
Gallus Gallinæ, BORBONIDES aquilæ.

I 2

ICON X.

Henrici Magni discessus.

PICTVRA.

Idem μακαρίτης filium Reginæ commendat.

EXorere aurato Francis mea Cynthia cornu,
Quando me superum iam pia templa vocant.
Tu vicibus succede meis, tu suscipe curas,
Pondus erit (mea lux.) Gallia tota tuum.
Dilige crescentem nostro sub sidere natum,
Vt natum, vt Dominum, vt Patris effigiem.
Hic tibi liligero felix adolescet in ostro,
Inque tuo gremio mite recumbet onus.
Vnus erit vidui lentum solamen amoris,
Vnus qui poterit reddere in orbe Patrem.
Nam Patris spirat fili sub pectore Mauors,
Et Matris tenero ridet in ore Venus.
Quod mihi detrahitur vestros accedat ad annos,
In te & prole mihi iam satis esse senem.
Viue vale Medicea mea pars optima mentis,
Par tibi sit regni, par tibi cura tui.

ICON XI.

Regis ingressus ad regnum.

PICTVRA.

Mercurio duce, vt olim adolescentulus Hercules apud Dionem, ad Basileæ Deæ templum accedit, a qua humanissime excipitur.

INcipe sancte puer magnam cognoscere matrem,
Tu quoque tu puerum respice magna Parens.
Vis dicam quis sit? Nosti pulcerrima rerum,
HENRICI MAGNI est filius: hoc satis est.

ICON XII.

E Delphino Rex factus Galliam pacat.

PICTVRA.

Delphinus coronatus longe alius, quam ille Arionis Franciam dorso insidentem per varias tempestates felicissime deuehit ad portum.

HEnricum postquam Rectorem fata tulerunt,
Naufragaque in medijs Francia nutat aquis.
Delphinum clemens misit Saturnius astris,

Vt veniens tergo mite subiret onus.
Et nunc Scyllæam rabiem, bacchataque ventis
Æquora placauit, fudit & ore diem.
O dignum Cælo! sed terris vtile sidus,
Fac terris Cælum, & serius astra pete.

ICON XIII.

Regis inauguratio, & inconcussa Regni firmitas.

PICTVRA.

Iouem adolescentem Briareus centimanus, & aquila fulminatrix protegunt: Sic Regem lecta Gallicæ fidelitatis robora plusquam sexcẽtis manibus in eius salutem excubantia defendunt.

IAm pueri sacro crinis pinguescit oliuo,
Cingit honoratum iam diadema caput.
Quodque anni nequeunt, hoc præstat numen, & ipso
Tantillo immensum corpore pondus habet.
Hinc stat vis Briarei validis numerosa lacertis,
Inde Iouis Domino tela ministrat auis.
I Pluto, & vastum frendens sub Tartara perge,
Quod tua monstra terat Gallia, robur habet.

ICON XIV.

Rex Expupillus.

PICTVRA.

Regem in curru sedentem magnus Galliæ Genius liliorum candore radiatus, & magistra consiliorum Pallas felicissimis auspicijs deducunt.

INcipe Rex, venit melioris terminus æui,
Incipe prudenti flectere sceptra manu.
Te Patris & patriæ Genius circumuolat alis,
Et niuei currus gemmea fræna legit.
Aurea te Pallas Diuorum pollice format,
Erudit & teneras ad sua sceptra manus.
Quantus eris, quem pene humeris duo Numina portant?
Quantus eris? ni iam proximus es superis.

FINIS.

TERTIA PARS
EADEMQVE
MISCELLANEA; SIVE
DIVERSI GENERIS
GARMINA COMPLECTENS;


Authore P. DIONYSIO PETAVIO
Aurelianensi è Societ. JESV.

Η ΕΛΛΑΣ ΠΡΟΛΟΓΙΖΕΙ.

Ελλάδι ἀχλυοέσσαν ἐπ' ὄμμασι νύκτα φερούσῃ
Σὸς, Λοδοῖκε, Πατὴρ λαμπρὸν ἀνέσχε φάος.
Τοὔνεκα Ῥωμαίοις πάτριον βάλεν ἄμμιγα φωνὴν,
Πολλάγε τῷ παίτων αὐξαμένη πατέρι.
Ἡ μὲν κεῖνος ἀπὸ σκοτίης ὥρμησεν ἐλέσθαι,
Ῥύσασθαι χαλεπῆς ὡς σ' ἀπὸ δουλοσύνης

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ ΛΟΔΟΙΚΟΝ ΕΙΣΙΤΗΤΗΡΙΟΝ.

Ἀμφοτέρα σε μὲν καθ' ἕκαστον ἐπερχόμενον πτολίεθρον
Ξείνισσαν Κελτῶν παῖδες ἀρειμανέων.
Χρυσῷ δὲ στίλβοντες, ἰδ' ἀργύρῳ, ἠδὲ λίθοισι
Ἄστον ἔβαν, ὅπλοις σῶμα πυκασσάμενοι.
Ἵπποις γαυριόωσιν ὀχούμενοι. οἱ δὲ θαλείαις
Δειδέχατ', ἢ βασιλεῖ δῶρα πρέποντα νέμον.
Οὐκοῦν σοι παρ' ἐμοῦ τάδε ἔσσεται. ὧν δ' ὄφελός σοι
Χρεία τ' ἐστὶ τὶ νῦν σοι πλέον, ἢ ἔσεται.
Μουσῶν καὶ Φοίβοιο κλυτ' ἄσματα. ὧν γε δεήσεις
Εἰκὸς, ἐπεί κε κάμῃς ἄξια πολλὰ λόγου.



ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΣ
ΑΠΟ ΠΡΟΣΩΠΟΥ
ΤΗΣ ΦΡΑΓΚΙΑΣ ΠΡΟΣ
Λοδοῖκον Βασιλέα

Ποίους ἂν εἴποι λόγους ἡ Φραγκία, ὅτε ὁ Λοδοῖκος ἐπεβάτευσε τῆς Αὐτοκρατορικῆς ἐξουσίας.



ΑΛΛΑ σύ τοι θεός ἐστιν ἐτήτυμον: εἰς δ' ἐμὰ λεύσσει
Πράγματα, καὶ Φράγκων τῶν δ' εἰσέτι σκῆπτρα μέμηλε.
Ὢ πόποι! ὡς μάλα πολλὰ φίλον τετιημένη ἦτορ,
Καὶ βύθιος κατὰ κῦμα, καὶ ἄγριον οἶδμα φέρεσθαι
Ὀσσομένη, θανάτου δέ μοι οὐδέ τι μῆχος ἔσεσθαι,
Κλαῖον ἐπασσυτέροισι βαρυνομένη καμάτοισι.
Φῆν δ' ἐμοὶ οὐκέτι ἦρα φέρειν θεὸν, οὐδ' ἐλεαίρει
Ὀλλυμένην. Νῦν δ' ἀσπάσιον φάος εἰσορόωσα,
Καὶ λιμέν' ἐκ χειμῶνος ἀελπέα, ἤδ' ἐπιωγὴν
Νηὸς ἁλιπλάγκτου, τῆς δ' ἄμπαλιν ἵκετο γνώμης

Ψυχὴ ἐμὴ, θαῤῥεῖν τε πότ᾽ ἤρξατο. Τοῖος ἀνέστη
Ἄμμιν ἀοσσητὴρ, καὶ ἐπίῤῥοθος, ὅς κε σαώσαι,
Δοίη δ᾽ ὄλβια πᾶσιν, ἀεικέα λοιγὸν ἀλάλκων.
Ἠνὶ γὰρ ἐξανόρουσε Πατρὸς μεγάλοιο γένεθλον.
Ὅς μέγα δή μ᾽ ἀκάχησε θανὼν, σὺν δ᾽ ὤλεσ᾽ ἑαυτῷ
Παρ μικρὸν, ἔν τε μιῇ Φράγκοις ἐκάλυψε κονίῃ,
Τούτου γοῦν βλάστημα διοτρεφὲς ἄντι τέθηλεν·
Καὶ φθιμένου Λοδοΐκος ἐδέξατο σκῆπτρα τοκῆος,
Πρόσθε λαχὼν μετὰ ταῦτα, καὶ ἐν λαοῖσιν ἀκούων
Σκηπτοῦχος βασιλεύς. θαλερὸν δ᾽ ἔτι πότνια μήτηρ
Ἀμφεπεν, ἠδ᾽ ἀτίταλλε, τέως τ᾽ οἴηκας ἐνώμα.
Νῦν δ᾽ ὅγε ἠϊθέοις ἐναρίθμιος, ἔξοχα τιμῆς
Ἔμμορε, πηδαλίοις τ᾽ αὐτάσσυτον ἔμβαλε χεῖρα.

Τοῖος Ἰουδαίων βασιλεὺς πάλαι ἔμφρονι θυμῷ
Γαυριόων, πουλὺν δὲ θεόσδοτον ὄλβον ἀέξων,
Μόρσιμον ἔλλαβε κῦδος Ἰεσσαίου παρὰ πατρὸς.
Κὰδ δὲ θρόνου ἐκάθισσε, καὶ ἡνία δέξατο χερσίν.
Ἡ οἷος σοφίῃ καθυπέρτερος, ἠνορέῃ τε
Ἡμετέρου βασιλῆος ἐπώνυμος, ὅς παρὰ πολλὸν
Τοῖς αὐτοῖς Κέλτῃσι μετέπρεπεν, ἐνθάδ᾽ ἀνάσσων.
Ὡς δ᾽ αὔτως ὑπὸ μητρὶ τραφεὶς ἔτι τυτθὸς, ὁμοίῃ
Ἡλικίῃ ἐκέκαστο, δέμας δ᾽ ἆρα εἶχε, φυήν τε
Εἴκελον, ὀφθαλμῶν τε βολὰς, πλόκαμόν τε, κάρη τε.
Τὸν γὰρ ἐγὼ πάντων πέρι εὔχομαι. οἳ πάρος ἦσαν
Θεσπέσιοι βασιλῆες, ἀφ᾽ οὗ Ῥήνοιο μετ᾽ ὄχθας

Ἤθεα τοῦτ' ἐκράτησεν ἀρειμανέων γένος ἀνδρῶν.
Κείνου γοῦν ζώοντος ἐφ' ὑψόθι κρᾶας ἀέρθην,
Μακρὰ βιβᾶσ'. ἐπεὶ οὔτις ἐρίζετο ἀντία γαίη
Τῶν πασέων, ὅσσας ποτιδέρκεται ἡλίου αὐγή.
Κάλλος δ' ἔχεν εὐνομίη πόλιας, γελόωσα δ' ὕπερθεν
Εἰρήνη βαθύπεπλος ἐπ' εἰειτον ὄλβον ἔχευεν.
Ἶσον ἐμοὶ κλέος εὐθὺς ἀναστήσασθαι οἵω
Ἀντίθεον Λοδοΐκον. ἐπεὶ τόδε μόρσιμόν ἐστι
Οὔνομα, καὶ Κέλτησι φερέσβιον ἤστραπεν αἴγλην.
